ZEVTHENIO

ORATIO

DE VICTORIA

CHRISTI

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1


Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

3. – 125.

DA BOX

LN 1670
ex 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

יְשׁוּעַ גִּבֹּר עַל־אֹיְבֵי לְאָדָם:

Seu

DE GLORIOSISSIMA DOMINI ET SERVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI contra hoſtes humani generis crudeliſſimos victoria,

ORATIO

Conſcripta & in Incluta Academia Witebergenſi, feria ſecunda Paſchatos Anni ſecularis cIↄ. Iↄ. C. *publicè recitata*

A

IOHANNE ZEUTHENIO
LAURENTII F. DANO.

Pſalm. 110. *v. ult.*

מִנַּחַל בַּדֶּרֶךְ יִשְׁתֶּה עַל־כֵּן יָרִים רֹאשׁ:

R O S T O C H I I,
Excudebat Stephanus Myliander.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

REVERENDO VIRO

ERVDITIONE PIETATE

ET HVMANITATE PRÆSTANTISSI-
mo Dn. Magiſtro PETRO POMARIO TOR-
CHILLI F. Eccleſiæ Cathedralis, quæ Arhuſiæ eſt, Pa-
ſtori vigilantiſsimo, nec non venerandi Capituli ibidem
Canonico digniſsimo Dn. Mecænati ſuo &
ſororio patris loco ſemper reve-
renter colendo

Demiſſæ gratitudinis ergò hoc quicquid eſt
Orationis dicat & conſecrat

Iohannes Zeuthenius
Laur. f.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

Rector Academiæ VVitebergenſis
ANDREAS SCHATO TORGEN.
Medicinæ Doctor & Profeſſor.

HIſtoria reuerſi ab inferis Domini ac ſeruatoris noſtri IESV CHRISTI, in vitam non amplius caducam & mortalem, ſed æternam atque immortalem, etſi digna eſt, quæ aſsidua contemplatione animis noſtris ſubijciatur & inculcetur: præcipuè tamen ſolenni hoc atq; anniuerſario tempore, conſiderari & etiam atque etiam excuti ac ponderari debet. Itaque operam piam atque ſalutarem ſumunt, qui & pro concionibus publicis auſcultando, & meditatione domeſtica conſiderando, eam ſibi quàm familiariſsimam ſtudent reddere: Quippe ex qua fructus vberrimus ac ſolidiſsimus, in vita & morte nobis ſuppeditatur. Quamobrem laude non immeritò decorandam iudicamus religioſam & eruditam induſtriam, Virtute & doctrina præſtantis viri iuuenis, IOHANNIS ZEVTHENII Dani, optimarum artium Magiſtri: Qui ea, quæ de hoc argumento priuata commentatione collegit, publica recitatione communicare cum alijs hodie hora duodecima conſtituit. Quam orationem de glorioſa, contra hoſtes humani generis, Victoria ſeruatoris noſtri, vt frequentes obeatis atque attentè auſcultetis, non præter rem cenſemus. P. P. feria ſecunda Paſchatos. Anno 1600.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

QVanta diligentia, ſpectabilis Dn. Decane vosq́ commilitones lectiſſimi, ſtudioſiſſimi, quamq́ indefeſſo ſtudio ac invicto labore, omnes omnium ſeculorum homines, res à præclaris Heroibus, ſua ætate geſtas annotarint, & ad famam illorum longè lateq́ per orbem terrarum propagandam, ſeræ poſteritati, tam ſcriptis egregiis, quam monumentis aliis quaſi per manus tradiderint, nemo qui hiſtoricas narrationes non dicam diuturna lectione percurrerit, ſed vel obiter & extremis, quod ajunt, digitis attigerit, ignorare poteſt. Indignum enim haud dubiè duxerunt ſapientes illi & perſtrenui viri, virtuti meritum præmium derogare; derogare autem ſe putarunt, ubi id, quum dare poſſent, denegarent, eamq́ debito honore laudisq́ præconio non decorarent. Atq́ hinc id traxiſſe originem palam eſt, quod multas & varias ad illuſtrium hominum honorem diu conſervandum & late diſſeminandum excogitarint rationes: dum hi certos ludos quotannis, ſtatis temporibus, pro refricanda defunctorum memoria, celebrarunt; Alii ſplendida templa profuſis ſumptibus exſtructa ipſorum nomini conſecrarunt; Quidam ſtatuas aureas & argenteas, æreas & ferreas, ut vel hoc pacto quam diutiſſimè eorum memoria in poſteris ſuperſtes maneret, erexerunt. Nonnulli etiam ſuo ſe munere perfunctos non exiſtimabant, niſi eos è mortalium grege exemtos in Deorum immortalium (ut eos κατ’ ὑπεροχὴν ſalutabant, quamvis revera cuncti fatis conceſſerant) album retuliſſent. Nec alia ratione Bacchus, Iuno, Minerva & innumerabiles alii Gentium Dii, quam per egregia facinora, divinitatem adepti ſunt. Et hæc ipſa Saturnum in cœlum ſuſtulerunt, Iovem & Mercurium inter ſtellas collocarunt. Neq́ verò hoc ſuo facto reprehenſionem incurrerunt, qui eo animo hoc quicquid eſt fecerunt, ut virtutem in magnis hominibus admirabiliorem redderent, & poſteris anſam darent, ut quæ ab iis probè ad uſus vitæ humanæ eſſent peracta, majori cum induſtria penſitarent, quum aliâs, ut dici ſolet, beneficia raro in Calendarium inferantur, ſed confeſtim ex memoria hominum elabantur. Quemadmodũ etiam Alexander de Achille dixiſſe fertur,

niſi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

niſi Homerum laudum ſuarum præconem habuiſſet, futurum fuiſſe, ut idem tumulus qui corpus ejus contexerat, etiam unà nomen obruiſſet. Quocirca incredibilem hanc hominum, ornandæ virtutis in aliis hominibus claro jubare fulgentis, induſtriam ponderantes Chriſtiani, non poſſumus non execrandam noſtram ſocordiam incuſare, quod licet Salvator noſter Ieſus Meſſias, Dei ante omne tempus & Mariæ in tempore filius, tam mirandam & longè quam ullus hominum aut mente concipere aut lingua profari poteſt, majorem, in debellandis & debilitandis hoſtibus noſtris tam crudelibus ac robuſtis, virtutem declarârit; tamq; excellentia beneficia morte turpiſſima & reſurrectione glorioſiſſima in nos miſeros abjectos & perditos cumulârit: non tamen tam alacriter hæc æternùm duratura prædicamus, quam illi leve & breve aliquod commodum hujuſce vitæ fecerunt. Decet igitur, imò ſumma neceſſitas urget, ut tandem, ſi ſalus nobis curæ & cordi fuerit, veterno excuſſo, oculos aperientes ac ex ſecuritatis torpore, qui nos hucuſq; detinuit, evigilantes, grata mente & clara voce, hujus ſummi ἀγωνοθέτου noſtri laudes prædicemus, quas ille verè meritus ſupra id, quod nos miſeri homunculi animo comprehendere aut voce eloqui unquam poterimus. Si etenim Alexander militibus ſuis in prælio contra Perſas inito, cæſis, ſtatuas & monumenta parari curavit: quanto magis nos fortiſſimo Heroi & validiſſimo propugnatori noſtro, qui in bello quod ſolus noſtrũ omnium nomine geſſit, occubuit, ad ſempiternam virtutis ejus memoriam exædificabimus. Quod etiam nos tum demum feciſſe putabimus, non ſi ſaltim ſtatuam imaginem Chriſti in cruce pendentis æmulantem nobis comparaverimus: Sed ſi piis animis mortem ejus meditantes, cunctiſq; viribus, auxilio divini Spiritus, peccatum tanquam peſtiferum virus animæ fugientes, ſancta attentione & jugi ſtudio, ineffabile beneficium, quantum quidem humana fert imbecillitas, celebraverimus. Hoc ut omnes Chriſtianos ſedulo curare convenit: ita vel maximè ii, qui in ſcholis & Academiis pietati & literis ſe dediderant, ſuarum eſſe partium exiſtimare debent, ut gloriam Chriſti inſigni ſuper hoſtes triumpho partam, ſinguli pro ſuo modulo illuſtrent, nihil

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

penitus dubitantes, quin is conatum ex vera fide & bono propoſito profectum, benignè ſit acceptaturus, utpote qui novit; εὔξασθαι μὲν ἡμῖν ῥάδιον εἶναι, διαπράττεσθαι δ' οὐκέθ' ὁμοίως εὔπορον, *unde non tam quid obtinuimus, quam quid optaverimus, nec tam eventum quam votum reſpicere ſolet. Atq; hinc jam credo, liquido perſpi itis. A. H instituti mei rationem eam ut pluribus inculcare prorſus abs re fore putem. Etſi autem nihil me hoc themate vel minima ex parte dignum adferre poſſe præcognoſcam, quod doctiſſimus quisq; tantum abeſt ut pro dignitate ſe tractaturum promittat, ut quum plurima, cunctos El quentiæ ſinus pandens, dixerit, parum tamen ſe dicendo aſſecutum ingenuè agnoſcat, quia tantæ heic ſunt & tam inexhauſtæ divitiæ, ut quo plus ſumpſeris eò plus reliqueris, quumq́; omnia quæ potuiſti, c l egeris, innumera quæ non attigiſti ſupereſſe videas. Etſi inquam, ſuſceptæ provinciæ vix ac ne vix quidem par ſim, tamen quum in magnis etiam voluiſſe ſatis ſit, quod redempto i meo jure omni debui hoc ſubmiſſa veneratione ut exſolverem operam dedi pro eo ac potui quum ut vellem non liceret, certiſſimè confidens ipſum hoc qualecunq; gratæ*
Pſa.8.v.3. *mentis officium clementer approbaturum, qui etiam ore infantium & lactentium fortitudinem propter ſuos hoſtes proclamari velit. Adeſte igitur æquis auribus & animis quotquot adeſtis, meq́; de ſummis rebus humiliter dicentem, deq́; mirabilib. infantiliter balbutientem, pro ſolito veſtro candore placidè audite. Atq; idipſum ut facilius præſtetis, avertite à mea tenuitate oculos, inq́; præcellentiſſimam ejus, cujus honos agitur, dignitatem, fixos habete, ita fiet ut vos aquè ad annuendum faciles ſitis ac ego ad rogandum animatus fui.*

Verum ut expeditiore tramite progredi queamus, age certam metam, quæ toto hoc curſu animo & oculis obverſetur, conſtituamus, illuſtrem nimirum illam gloriam victoria ſalvatoris comparatam. Ad quam ut pertingamus compendioſius, hos tractu pergendum erit: Ac imprimis hoſtes πλεμιωτάτους *diligenter perluſtremus; Deinde per victoriam & modum quo eam glorioſè acquiſiuit ubi proceſſerimus, ſcopum ad quem collineamus, illo ipſo, de*

quo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

quo dicturi ſumus curſum dirigente, facilè & feliciter aſſequemur.

Scitè equidem & ſapienter à Philoſopho dictum eſſe meminiſtis: Top. 3.
τὸ χαλεπώτερον ἐστὶν αἱρετώτερον; non certe eam ob cauſam, ut cap. 2.
quisq; facilè apud ſe æſtimare poteſt, quod ſimpliciter & per ſe ali- 1. Reth.
quis ejus operis, quod aggreſſurus eſt, difficultatem exoptet; omnes cap. 7.
ſiquidem laboris jugum libenter detrectamus, & ardua quæq; quan-
tum in nobis eſt, declinamus: Sed quia ex difficilioribus ritè con-
fectis maxima ſemper exurgat & redundat in autorem gloriam.
ὥσπερ γὰρ δύσκολα τὰ καλά: οὕτως ἀεὶ καὶ ἐπιφανέστερα τὰ δύ-
σκολα. Hinc quoq; virtus in Ethicis maximè laudabilis cenſetur, Eth. Ni-
ut quæ περὶ τὸ χαλεπώτερον αἰεὶ γίνεται circa difficilius ſemper oc- chom. 2.
cupatur. Sed quorſum hæc? Ut ſz. melius conſtet virtutem victo- cap. 2.
riæ Chriſti, quum circa omnium difficilima verſata ſit, longè futu-
ram eſſe tum ſplendidiſsimam tum glorioſiſsimam. Nam ſicuti arti-
ficis induſtriam magnopere commendat operis difficultas: Ita etiam
communi ſuffragante experientia, victoris triumphum celebriorem
& magis admirandam reddit debilitati hoſtis immanitas. Quod etſi
ſatis manifeſtè propria luceat luce, tamen quia magno nobis uſui erit,
Exemplis demonſtratum dabimus, ne ullus hæſitantiæ aut tergi ver-
ſationi locus inveniatur. Inter alia verò primò referendum occur-
rit, illuſtre illud Davidis, qui juvenis adhuc & fermè inermis, bel-
licoſum illum ac bene armatum gigantem Goliathum, multa convi- 1. Sam. 17.
tiorum plauſtra in populum Dei conjectantem, monomachia ſuperavit.
Quis jam, quæſo, adeo mentis eſt inops, qui Davidi ex tanto &
tam crudeli Antagoniſta proſtrato, majorem obtigiſſe gloriam, quam
ex alio, vel ſibi æquali vel non æqualis cum Goliatho fortitudinis
non ſponte fateatur? Solus, credo, Polyphemi necator .i. Nemo. De
Simſone notum quoq; eſt, ipſum maxilla Aſini mille viros bellatores
Philiſtæorum enecaſſe: Quod egregium ejus facinus an nobilius
fuerit, quam ſi vel pauciores hoſtes, vel etiam infirmiores, & inſtru-
ctiori apparatu confeciſſet, ratione valenti dijudicare, haud fuerit dif-
ficile. Si etiamnū quis in ambiguo fluctuat, quærat ex Achille, quur
tam ſeverè interdixit reliquis commilitibus, ne ullus eorum telum

in He-

Iliad. 22. *in Hectorem ejacularetur, ac audiat expeditè Homerum ita pro eo reſpondentem:]*

Μήτις κῦδος ἄροιτο βαλὼν, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθοι

Ne quis gloriam auferret, ejaculatus, ipſe verò poſterior veniret. Certum enim ipſi erat Hectorem non eſſe exigui nominis aut notæ bellatorem, ex quo ſolo trucidato, plus ſperavit ad ſe laudis redíturum, quam ſi ingentem ignobilium multitudinem neci dediſſet. Quid Alexandrum illum, qui Magni cognomine, non quidem ob inſolentem corpulentiam, ſed potius magnificum animum & res animosè in militia geſtas, eſt inſignitus, vobis commemorem? De quo Hiſtoriographi multa prodiderunt relatu digniſſima, ac inter alia quomodo Thebas, quarum cives, ſe abſente, ad Perſas defecerant, penè ſolo æquârit: præterea etiam, quanta felicitate tribus tantummodo prælis potentiſſimum Darium Perſarum Monarcham non viribus ſaltim ſed & vita exuerit omnesq; ejus ditiones ſibi ſubjugârit. Iam conſtat Thebas urbem fuiſſe muris & aggeribus munitiſſimam ſimul ac populoſiſſimam: Neq; cuidam ignotum eſt, qui vel hiſtorias de longinquo aſpexit, Darium, ſi rerum pretioſarum theſaurum reſpicias, incredibili ejus cumulo affluxiſſe; ſi imperium conſideres, quam latiſſimè ejus habenas extendiſſe ſi deniq; apparatus bellicos, ferè invictum fuiſſe. Alexander, uti dictum, Thebas depopulatus eſt; Alexander interempto Perſarum Monarchâ imperium ad ſe tranſtulit, Dic, amabo, ubi præponderat gloria? An ea quæ ex unius urbis deſtructione extitit, an ampliſſimæ Monarchiæ ſubactione? Certè vel lippis & tonſoribus, ut ajunt, notum eſt, heic potius quam ibi: ſiquidem difficilius eſt & magis laborioſum, imò majori cum diſcrimine conjunctum Monarcham vincere quam conſulem: Vaſtiſſimi regni principes & proceres, quam florentiſſimæ etiam urbis ſenatum, & aliquot centena millia militum, quam vel populoſiſſimæ civitatis incolas. Heic plura non cumularē, niſi ſuccurreret unum ex ingeniorum illo fonte & poëtarum Sirene Homero perquam elegans, quod extat Iliad lib. 2. ubi mirandum quoddam portentum, quod Græcis Diis ſacra facientibus videbatur, ſub perſona Ulyſſis narrat,

De

De Dracone ſz. paſſerem cum octo pullis deglutiente, & poſt patratum facinus à Iove in ſaxum, ſtupenda quadam μεταμορφώσει, commutato. Ad quod prodigium quum prorſus obſtupeſcerent, animusq; pendere inciperent Achivi, Calchas Ariolus inde futura præſagiens in hæc verba vaticinando prorupit:

ἡμῖν μὲν τόδ᾽ ἔφηνε τέρας μέγα μητίετα ζεὺς
    ὄψιμον, ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὔποτ᾽ ὀλεῖται.

Nobis quidem hoc oſtendit ſignum magnum prudens Iupiter
    Serum, quod tardè perficitur, cujus gloria nunquam peribit.

Tali vaticinio nutantes ſociorum mentes confirmavit & in ſpem meliorem erexit, quod licet durum & diuturnum futurum eſſet bellum ad integrum ferè decennium, quod novem paſſeribus à Dracone abſorptis præſignificatum erat; tamen ſicuti Draco in ſaxum transformatus fuit, ita laus victoriæ tãto futura eſſet illuſtrior & durabilior, quanto difficilius pararetur, ut eam nec ſera poſteritas oblivisceretur nec temporis longinquitas obliteraret. Atq; per hactenus allata, id quod volui, ſatis ſuperq; ſatis peractum reor: Nempe hoc fixum & firmum manere, quòd quo major fuerit ferocia hoſtis, eò excellentior & amplior ſit gloria victoris. Hoc itaq; validiſſimo jacto fundamento, nunc ulterius pergam & propius ad inſtitutum accedam. Cum primis autem mihi incumbere video, ut de hoſtibus quibus cum congreſſus eſt Salvator noſter, verba faciam: Omnis propterea movendus eſt, quod ajunt, lapis, eos ut ſingulos ſuis titulis inſignitos ex ſcena in theatrum producam, quò incredibilem eorum feritatem perſpicientes eò commodius victoriæ excellentiam ſuis momentis exputemus.

Atq; heic in acie primum ſe ſiſtit Diabolus, funeſtus ille omnis malitiæ & pravitatis theſaurus, cum complicibus ſuis & tota infinitis ſuppliciis adjudicata Lerna. Tam, profecto, horribilis & atrox hoſtis ut vel ad ſolam appellationem contremiſcamus et ingenita quadam ἀντιπάθεια percellamur. Ejus potentiam ſi ſpectes, omnes creaturas longè exuperat: ſi fortitudinem, nemo ipſo robuſtior, nemo firmior: Si ſævitiam, nemo terribilior, tetrior, acerbior: ſi audiciam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

ſummè pertinax eſt & animoſus, nihil non aggredi paratus: ſi perfidiam, eam ita ſibi vendicat, ut ſi quæ in aliis occurrat, ipſi ſoli accepta ferenda ſit: ſi aſtutiam, Bone Deus, quis ipſo callidior, quis fraudulentior, quis ad mille ſtratagemata confingenda & inferenda aptior? ſi celeritatem quis agilior, quis in omnes occaſiones intentior? ſi deniq; copiam exercitus ipſius caſtris addicti, tanta illa eſt, ut & Xerxis & Alexandri à tergo longè poſt ſe relinquat; ac ne minutatim dicam quod ſummatim eloqui poſſem, ut peſſimus & nocentiſſimus hoſtis ſit ne hylum quidem deſit, ut ubi illum nominâris, totam omnis mali farraginem complexus ſis, in quem condignè eo Æneid. 7. *Poëtæ uſi fuerimus:*

> *Tu potes unanimes armare in prælia fratres*
> *Atq; odiis verſare domos; tu verbera tectis*
> *Funereasq; inferre faces: tibi nomina mille*
> *Mille nocendi artes. ——*

Quæ ut dilucidius innoteſcerent, variis rebus horrendis ac immaniſſimis belluis eum, divino inſtinctu prodita comparant oracula, de quibus majoris perſpicuitatis gratia ſi pauca tantum in medium adduxero ſpero me vobis non futurum moleſtum.

Principio, proinde, ne quis minutarum ipſum eſſe virium perſuaſum haberet, principis nomen, (ſed nihil minus quam propter virtutem) ipſi tributum comperimus, ut Ioh. 12. 14. & 16. *quibus locis* ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου *princeps hujus mundi appellatur. Eundem quoq; ad modum Eph.* 2. ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας *princeps poteſtatis aêris & ſpiritus nunc operantis in filiis contumacibus, ſalutatur, quemadmodum etiam Apoſtolus ejuſdem Epiſt. c.6. nefandam ipſius ſævitiam utcunq; expoſiturus eodem ipſum titulo dignatur inquiens:* Non eſt *nobis lucta adverſus ſanguinem & carnem, ſed* πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *adverſus imperia, adverſus poteſtates, adverſus mundi dominos, rectores tenebrarũ ſeculi hujus adverſus ſpirituales aſtutias*

in ſub-

in ſublimi. Inſuper & Chriſtus ipſe Matth. 12. & Luc. 11. vocat illum ἰχυρὸν καθωπλισμένον τὴν ἑαυτοῦ αὐλὴν ἐν εἰρήνῃ φιλάσσοντα, validum & Cataphractum militem tentorium ſuum contra quoslibet inſultus fortiſſime tutantem. Hinc cuilibet non prorſus ſtupido in propatulo fuerit conijcere, quam magnũ ejus ſit robur & poteſtas, quum in ſacris ejuſmodi titulis inſigniatur, quod tamen juſta ſtatera non penſitarunt phariſæi, dum vim ejus nimium elevantes ipſum בַּעַל־זְבוּב dominum muſcarum contemptim appellitarunt.

Apoc. 12.

In Apocalypſi præterea Draco magnus nominatur, non modo ob nocentiſſimum Venenum, quo totus vndiq; ſcatet pleniſſimè, ſed & ob ſtudia quibus ipſi cum teterrimis beſtiis convenit planiſſimè. Nam ſicuti Draco perpetuas ac indelebiles adverſus Elephantem animal mitiſſimum, æquiſſimum ac prudentiſſimum (hiſce enim notis ipſum deſcribunt naturalium rerum ſcriptores eximij) fovet ſimultates eiq; licet nihil mali commerito vndiquaq; inſidiatur: Ita etiam Diabolicus hic Draco, poſtquam odio plusquam Vatiniano, placidiſſimum, juſtiſſimum, ſapientiſſimum ac innocentiſſimum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum à primis ſtatim mundi incunabulis inſectari cœpiſſet, eum poſtea innumeris ſtructis inſidiis circumſcribere, nequicquam tamen, eſt conatus. Vnde etiam appellationem illam in ſancta lingua invenerat quod שָׂטָן vocitetur, id enim adverſarium ſignificat, eò quod omnibus modis Chriſto & ipſi dicatis adverſetur. Refert etiam Plinius Dracones in Æthiopia natos, quum ibidem victus ipſorum palato arridens non ſuppetat, in quadam copia inter ſe cratium more implexos, erectis capitibus per mare in Arabiam, ubi commodius victuros ſe ſperant velificare; adeo ut neq; profundi maris interlapſu Arabes ab ingratis iſtis hoſpitibus liberi eſſe queant. Simili etiam modo, nec maris vaſtitas, nec ſylvarum denſitas, nec ulla viarum aſperitas, aut quicquam aliud, perditiſſimum hunc Draconem cohibere aut impedire poteſt, quin pernitioſiſſimum venenum in omnes mundi angulos

Ariſt. de hiſt. anim c.1. Plin. lib.8.cap. 1. & 11.

lib.8. c.13

Mar. 5. diſſeminet atq; diſpergat, ut ab eo ne validiſsimis propugnaculis mu-
v. 9. nitus, tutus eſſe poſsit. Neq; verò ſolus aut uno alterové comitatus
Luc. 11. accedit, ſed magnam malorum ſpirituum catervam ſibi aſſociat, quo
v. 26. plus nocumenti inferre queat, id quod ex Euangelicis hiſtoriis ſatis
Scalig. conſtat. Porrò ut noxii Dracones Atlantis montis alumni ſolo con-
Exercit. tactu è veſtigio homines necare feruntur: Ita & hic virulentus Dra-
183 Sect. 9 co etiam leviſsimo contactu hominibus, nî ſalvifico verbi divini anti-
doto præſerventur, vitam ſpiritualem intercipere poteſt.

Gen. 3. Eò quoq; ſpectat, quod dicto Apocalypſeos loco ſerpens vocatur
& quidem antiquus: idq; tum quia per ſerpentem πρωτοπλάστους
noſtros decepit & ad certiſsimum exitium pellexit; tum etiam quia
ſerpentem in multis æmulatur. Nam ſicuti is, referente Auguſtino,
totius corporis venenum in collum pertrahit, ut ſi neceſsitas exigat,
quo vim propulſet, ſemper in numerato habeat: Haud aliter infer-
nalis hic ſerpens venenum in maxima copia collectum nullo non tem-
pore habet, idq; oculis & auribus ore & naribus indeſinenter ſpirat,
ut etiam Amphisbænam venenatam & bicipitem, virus profunden-
do vincat. Sunt deniq; ſerpentes, qui excellenter admodum ſunt ve-
nenoſi, ut eorum morſus vix ſentiantur priuſquam certiſsima mors
immineat penitusq; de ſalute ſit actum, unde phyſicis etiam muti &
ſurdi morſus dici aſſolent: Nec diſsimili modo ſpiritualis hic ſerpens
adeo verſute & clanculum homines toxico ſuo obruere novit, ut non
intelligant antequam infecti ſint, ac citius mors quam dolor iis ob-
lib. 2 de oriatur. Commemoratur inſuper & hoc à Phyſicis, quod ſerpens in-
anim. ter omnia animalia linguam habeat maximè mobilem & volubilem,
cap. 17. ac præterea, teſte Philoſopho, bifidam; Quod quam expreſsè in diabo-
lum congruat, lapſus primorum parentum hiſtoria locuples eſt teſtis.
Ibi enim conſpicuè linguam verſutiloquam adhibuit, dum eos tam ex-
imiis ornamentis divinitus dotatos in ſuam ſententiam pertraheret:
Deinde bifida eſt ejus lingua, h. e. quum optima ſpondet maximè
nocet, & dum palpum obtrudit, jugulum petit, dumq; mel dulciſsi-
Matth. 4. mum ſimulat virus peſtilentiſsimum porrigit prout in hiſtoria tenta-
Luc. 4. tionis Chriſti ab Euangeliſtis fideliter annotata clarè perſpicere licet.

Sed

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

Sed objiciat heic aliquis: Apoſtolus eum nominat antiquum, hine veriſimile eſt ipſum jam annis confectum viribus deficere, ac licet fuerit in juvenili vigore celer & callidus, nunc tamen deſiiſſe nequitiam. Nihil verò minus. Nam veluti ſerpens quotannis abjecta pelle rejuveneſcit: Ita & hic facilimè à ſenectutis incommodis immunis fuerit: Siquidem ſpiritus quum ſit, nihil tale unquam experitur. Verumenimvero ideo antiquus dicitur; partim ad exaggerandam ingentem ejus malitiam. Vt enim, docentibus rerum naturalium inveſtigatoribus, ſerpentes ſenes junioribus longè ſunt deteriores, eò quod creſcentibus membris accreſcat etiam venenum & fortius fiat: Sic etiam diabolus maximè venenatus, quia vetus erit cenſendus: partim ad oſtendendum ſummam ejus in bellando peritiã. Non enim pro tyrone quodam eſt habendus, qui paulò antè in aream gymnaſticam ſit introductus, ſed pro ſolertiſſimo veteratore, qui ad aliquot mille annos exercitatus mille nocendi artes calleat egregiè. libr. 8 de hiſt. cap. 17

Cæterum Divus Petrus Leoni ὠρυομένῳ & excandeſcenti eum confert, haud obſcurè incontinentem ejus rabiem & rapacitatem ſubindicans. Nam ut in toto ferarum grege nulla reperiri poteſt magis trux & torva quam Leo, iſq; potiſſimum ira percitus aut fame ſtimulatus, tum enim obvia quæq; diſcerpit ac devorat: ita etiam tanta eſt hujus hoſtis feritas & immanitas, ac juxtim quoq; inexplebilis humanæ ſalutis evertendæ cupiditas, ut ſine omni ceſſatione adverſus homines ferociat (quum ſc. callidis & clandeſtinis technis illos irretire aut circumvenire nequiverit) nec prius aliquid de furore remittat, quã eos aut perdat in univerſum aut ita vinculis ſuis conſtringat, ut quidvis ad ejus nutum facere cogantur. Deniq; de leone à Phyſicis memoriæ eſt proditum quod in venatione dum cernitur, non fugiat extemplò, ad venatorum intuitum, aut metu percellatur, ſed etſi venantium multitudine in fugam compellatur, pedetentim nihilominus & ſine inſigni feſtinatione ſe ſubtrahat, crebrò gradum firmans & retro ſpectans. Hoſce leonis mores & obſtinatum ingenium exactè hoſtis hic Chriſti & omnium piorum perſequi novit. Nam quicquid per vim aut inſidioſas machinationes in miſero genere hu- 1 pet. 5. v. 8. lib. 9 de hiſt. an. cap. 44. lib. 9. de hiſt. cap. 44.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

mano occupârit, id intrepidus ac inconcuſſus fortiter retinet & tutò incolit. Si verò demum multitudine venantium h. e. ſanctorum, ſummo niſu in ipſum impetum facientium, undiq; circumvalletur devotis ad Deum precibus, (quas ille non magis tolerat, quam Leo Galli cantum aut currus ſtrepitum) ut omnino fuga ſibi conſulere cogatur, tardißimo tamen paſſu & cunctanti gradu diſcedens, ſæpius ſubſiſtit & poſt ſe reſpicit, anné aliqua priorem commoditatem unde deturbatus eſt, recuperandi detur occaſio, quod etiam diſertis verbis à Chriſto ipſi Luc. 11 aſcriptum legimus.

Ac tandem ne ſcriptura ſacra, ullam belluam, quæ crudelitate quadam inſigni celebris eſt, tranſiliiſſe videretur, ipſum Balenæ aßimilat Eſa. 27. Cujus robur & immenſa feritas, quum in libro Ijobi cap. 41. graphicè depicta extet, unicum illum locum brevitatis cauſſa adducere lubet. Is autem ita habet: Circa dentes (Livjathan) eſt terror. Excellentia viribus ſcutorum, circumcluſa eſt ſigillo arctißimo. Vnum alteri tam prope eſt, ut ventus non poßit intervenire illis. Quæq; proximo ſuo cohærent, continentia ſunt ita ut non ſejungantur. Sternutationibus ejus ſplendet lux & quidem oculorum ejus velut palpebræ auroræ: Ex ore ejus velut tædæ prodeunt, ſcintillæ ignis proripiunt ſeſe. E naribus ejus prodit fumus, ut aheni ferventis & cortinæ, quaſi halitus ejus carbones incenderet & flamma ex ore ejus prodiret. In collo ejus commoratur robur & ante eum exilit mæror. Melandrya carnis ejus cohærent, firmus in ſe eſt, non dimovetur. Cor ejus firmum eſt ut lapis, firmum inquam, ut fragmen metæ. Ab excellentia ejus timent fortes, metu confractionum ſe purgant. Aßequentis eum gladius non conſiſtet, haſta, telum aut lorica. Reputat ut paleam ferrum, ut lignum putre Chalybem. Non fugat eum ſagitta, in ſtipulam convertuntur ei lapides fundæ, ut ſtipula reputantur balliſtæ & ridet ad vibrationem lanceæ. Subduntur ei ut acumina teſtacea, ſubſternit exciſum in luto. Fervefacit tanquam ollam profundum, & mare diſponit ut mortarium unguentarii, poſt ſe lucidam reddit ſemitam, ut putaret quis videns abyſſo canitiem eſſe. Non ſunt in

puluere

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

pulvere comparanda ei quæ agant intrepidè, &c. Ex hac horribili Balenæ deſcriptione conjectare poterimus, quantam ſpiritus ſanctus immanitatem Diabolo aſsignari velit, quum hunc ei adſimilârit.

Atq; ita de primo hoſte commemoraſſe ſufficiat: ipſo nunc relicto niti oportet, ut ſecundum ſuis coloribus quodammodo delineemus.
Medii itaq; agminis dux & Anteſignanus eſt peccatum perverſi ge-
nitoris peſtilens propago, ſub cujus vexillo omnia mala militare cer- Iohan. 8.
nuntur. Quantus hic ſit hoſtis pauci rectè reputant, quia plurimi v. 44.
quadam peccandi conſuetudine ita obfirmati ſunt, ut prorſus ἀπηλ- Epheſ. 4.
γηκότες callum obduxerint, & nil niſi peccare in delitiis habeant, v. 19.
perinde ac ſi ratum cum inferno fœdus percuſsiſſent. Miſerri- Eſa. 28.
mum genus hominum & ex omnibus animantibus quæ ſol intuetur v. 15.
aut terra ſuſtinet calamitoſiſsimum. Quî etenim adverſus eum arma capeſſant, quem falsò imò verò falſiſsimè amicum credunt? Sed in fine, ut vulgato dicitur proverbio cantilenæ tonus apparet. Tandem enim extremo ſuo cum incommodo experiri coguntur hoſtis hujuſce ſummam tyrannidem. Nonnulli etiam audientes ex corruptione naturæ provenire peccatum, vim ejus extenuant & excuſationis quodam prætextu palliare contendunt, dicentes. Ah, vitium naturæ eſt quam non poſſumus exuere, proinde non ſe-
vera reprehenſione dignum. τοῖς γὰρ διὰ φύσιν οὐδεὶς ἐπιτιμᾷ, Eth. Nichom. li.
ut eſt in Ethicis. Verum non advertunt Sycophantæ iſti mali- 3. c. 7.
tia ſpontanea eſſe attractum, quod rigidè & juſtè quidem omnes objurgare, eodem loci teſtis eſt Philoſophus. Sed quum ἐκ τῶν ὀνύχων ὁ λέων, ut græci ajunt, quemadmodum etiam ex fructibus arbor, optimè agnoſcatur: conſideremus paululum attentius, quantam cladem iſte hoſtis ſtirpi humanæ intulerit, atq; inde facilè de viribus ejus cenſuram feramus. Quid enim hominem de ſumma animæ & corporis felicitate præcipitatum in extremã miſeriam & calamitatem conjecit? peccatũ. Quid de illuſtri integritatis primævæ ſolio diſturbatũ in obſcuriſsimũ æterni contemptus angulũ compegit? peccatũ.

Quid

Quid ex amœniſſimo Paradyſo ejectum in triſtiſſimum deſertum abegit? peccatum. Quid conformitatem cum Deo ſubtraxit? peccatū. Quid lucidiſſimos ſapientiæ divinæ radios in fumum diſjecit & denſas menti ignorantiæ tenebras offudit? peccatum. Quid congenitā juſticiā, innocentiam, ſanctitatem & reliquas perfectiſſimas virtutes quibus creatura creatoris imaginem referebat, una quaſi litura delevit? peccatum. Quid ardentiſſimum amorem Dei menti penitiſſimè inſculptum, quo in unico illo acquievit, eum amavit, ejus ſolius deſiderio flagravit, evulſit & radicitus extirpavit? peccatum. Quid concitatiſſimum odium, quo vetitum quidvis ſectamur, repoſuit? peccatum. Quid exitia varia, morbos, mœrores, & omnis generis cruciatus invexit? peccatum. Unde Cephalalgia, Apoplexia, lypopſychia, oculorum cœcitas, aurium ſurditas, angina, odontalgia, Cardiaca, Icterus, pthiſis, pleuriſis, paſſio cholica, Iliaca; unde paralyſis, chiragra, podagra; unde ulcera & Apoſtemata & ſexcenta alia tormina quibus affligitur & infeſtatur corpus humanum? Hinc, hinc, ex peccato inquam, inſtar vaſtiſſimi Oceani cuncta ſcaturiunt hinc profluunt & funduntur. Et, ut ſemel dicam, Quid infelix illud & cruentis lachrymis deplorandum, inter Deum & homines interſtitium conſtituit, à quo quum ad minimum fuerimus disjuncti, non poſſumus non omnibus periculis & miſeriis eſſe expoſiti? Pecca-
Eſ. 49. v. 2 tum. O hoſtem infenſiſſimum ô cladem miſerrimam! Advertite, oro, animum & hoſtis vel hinc diſpicite truculentiam.

Hanc quoq; τῶν κακῶν πανήγυριν in ſe & aliis experti ſunt Ethnici, & multifariam de ea ſunt conqueſti, id quod ex eorum ſcriptis, quæ meris quærimoniis referta ſunt, videre licet. Hinc Aſcræus ille ſenex: πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα. Hinc Eurip. ὁ βίος ἀληθῶς οὐ βίος ἀλλὰ ξυμφορά. Hinc & Hom.

οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
πάντων ὅσα τε γαῖαν ἐπιπνέει τε καὶ ἕρπει.
Non quicquam alicubi eſt ærumnoſius homine
Omnium quæ ſuper terram ſpirantq; & ſerpunt.

Et Solon apud Herodotum de miſeriis vitæ humanæ quum prolixè
diſſe-

diſſeruiſſet, rem quaſi in faſciculum compingens hoc claudit Epiphonemate: πᾶν ἐςὶν ἄνθρωπος συμφορὴ Homo quantus quantus eſt calamitas eſt. Et id genus alia ad multas myriadas in Ethnicorum libris paſsim ſunt obuia. Illi tamen plane cœcutientes, fontes & fomites tantarum calamitatum fruſtra ſunt ſcrutati, quod vero lumine facem præferente deſtituebantur. Ac ea propter monſtroſas multas attulerunt opiniones, & innumera ſtolidiſsima figmenta excogitando quaſi inter ſe certarunt. Quidam enim duo principia συνάϊδια produxerunt, quorum alterum bona quævis ad homines demitteret, alterum mala cuncta diſpenſaret. Quidam confinxerunt duo dolia in cælo repoſita, quorum alterum miſeriis, alterum omnis generis felicitate eſſet repletum, jovemq; iis aſsidentem illinc in homines ſpargere quicquid contigerit proſperi adverſivé; Verum copioſius tamen de malis, fortè ne ob largiorem bonorum affluentiam homines in ſuſpicionem nimiæ proſperitatis venirent, aut cælicolarum εὐδαιμονίαν attigiſse viderentur. Alii Deo inferiorum curam ſubtrahentes, quam nimis laborioſam & tædioſam ipſi fore verebantur, forte fortuna hæc omnia contingere arbitrati ſunt. Nonnulli ad materiæ inſtabilitatem cuncta referenda putarunt. Heſiodus autem nonnihil fortean ab Ægyptiis de lapſu hominis ſubodoratus veritatem quaſi per tranſennam videtur aſpexiſſe, ſed tamen in eodem luto cum prioribus hæſiſſe, vt ad eam penetrare non poſſet. Is adducit ex Cerebro ſuo conformatum, neſcio quem, Prometheum, qui ob ignem Iovi, clandeſtino furto, ademptum, hæc in ſe & totum genus hominum loco ſupplicij derivarit. Verum hæc omnia & quæcunq; alia, hac ſuper re commenti ſunt gentium Vates & Myſtæ, aut ſanè meræ ſunt nugæ aut craſſæ nebulæ. Nos autem quibus Dei benignitate in ſempiternum ſeriò laudanda, illuxit vera aurora & nitidiſsima Euangelij lux affulſit, vnde ſint hæc mala novimus, nempe per hoſtem hunc, peccatum puto, noſtris iugulis eſſe impoſita. Quod vt omnes pij ſemper rotundo ore teſtati ſunt, ita Regius Pſaltes πόλλων ἀντάξιος ἄλλων Pſal. 39 palam fatetur inquiens. Reprehenſionibus propter iniquitatem caſtigas virum Ieho-

vah. Sed quo prolabimur? referamus, tempus eſt, pedem, & ad
ultimum, qui reſtat, hoſtem deſcribendum accingamur.
Sap. 2. Hic autem eſt mors & maledictio æterna, qui quum à duobus
v. 24. iſtis, quorum malitiam hactenus percepiſtis, ortum ducat, remotâ
Rom. 5. omni dubitationis alea peſſimus erit & ferociſſimus. Effectus ſi-
v. 12. quidem cauſarum referunt naturam juxta vulgare iſtud: κακοῦ κό-
Iacob. 1. ρακος κακὸν ᾠόν. Et id poëtæ: Natura ſequitur ſemina quisq; ſuæ.
v. 15. Ad hunc hoſtem deſcribendum non inuenerimus titulos, ſatis, prout
res poſtularet, horrendos. Vt tamen quædam ζωτόμως de effreni ejus
ſævitia delibemus, fingamus agite, immaniſſimum ſimul & trucu-
lentiſſimum latronem totius humanæ proſapiæ ſaluti inſidiantem,
qui immoderato furoris οἴστρῳ percitus in omnes orbis terrarum an-
gulos circum eat, occurrentes quoscunq; ſine ſtatus aut conditionis di-
ſcrimine, conculcet, lancinet, mactet, devoret, poſteaq; in triſtiſſimũ in-
ferni Barathrũ, ad ſempiternos animæ & corporis cruciatus ſine omni
relaxatione ſuſtinendos, evomat. Hic quidẽ grauiſſimus foret hoſtis,
ſed tamen tantum aut tam crudelem verbis definire aut mente fingere
non poterimus quin hic multis paraſangis crudelitate eum reapſe
excedat. Quid igitur tentandum? Alia certè via eſt inſiſtendum.
Sed vultis ne collationem inſtituamus inter illum & Sennacheribum
illum Turcicum, qui in ſummis & illuſtriſſimis titulis hoc ducit,
quod Chriſti & Chriſtianorum hæreditarius ſalutetur hoſtis, ut vel
inde aliquo pacto ejus inclareſcat immanitas? Id ſane percommodum
erit. Quanta verò & plus quam belluina feritate ipſe in miſeros vi-
ctos Chriſtianos inſultet, relatu & auditu mirum eſt vel potius mi-
ſerabile. Siquidem maſculos partim flammis comburit, partim fumis
ſuffocat, quoſdam rotis implicat, non paucos in crucem ſuſtollit, aut
ejuſcemodi modis aliis enecat: In fœminis verò horrenda edit ſpecta-
cula dum gravidas matronas lanceis transfodit, ut fœtus in cruore
materno natare conſpiciatur. Virginib. etiã inauditis modis abutũtur
inhumaniſſimi iſti nebulones: & ſi minimum eorum libidini abnuant,
certatim impetu facto extemplò gladiis transfigunt. Hæc talia ſunt
à nemine niſi ex Caucaſo nato & Tigride enutrito ſine inexhauſtis
lachrymis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

lachrymis narrari vel audiri queant. Sed quid ad hunc hoſtem? Planè nihil, levitas enim eſt aut luſus. Qui ſic, inquis? Nam Turca momentaneus eſt hoſtis & brevi ſævire poteſt, Deo ipſi frenos laxante: Mors autem & maledictio absq; omni termino graſſatur. Ille ferociam exercet in corpora ſaltim, animo verò ne minimam noxam inferre poteſt. Hæc verò animam cum corpore ineluctabilibus affligit tormentis. Ille inducias permittit dum vires recolligat: Hæc autem ne ad ictum oculi remiſsionem concedit, ſed ſingulis momentis & inceſſabiliter punit & perdit, ut centies imo centies millies mori mallent, ſi tum demum mitigatio expectanda eſſet, & tamen præſentiſsima morte hinc inde circumdati nunquam moriantur, morte ab iis refugiente. Vnde etiam tormenta inferni ſcitè cum lapide iſto comparantur, qui ex ſententia Phyſicorum, ubi ſemel ignem conceperit, nunquam poteſt extingui, ac idcirco ἄσβεστος iis appellatur. Quando etenim ſemel accenſus fuerit ignis infernalis, poſtea in æternum, atteſtante propheta, eſt irreſtinguibilis. Eſa. ult. v. ult. Atq; hi ſunt A. H. hoſtes crudeliſsimi, qui toti generi humano bellum indixerunt, & conjunctis copiis intrepidè certare decreverunt, quos qui devicerit, oportet ut infinita vi polleat, & gloriam omni cogitatione majorem promereatur.

In hoc igitur inquirendo, vt ita ad alteram penſi noſtri partem viam ſternamus, aliquandiu immorabimur. Sed vbi tandem quæramus illum? In Cœlone & ſanctorum Angelorum cœtu? Nequaquam. Nam illi tam duram provinciam non ſuſceperint, quinimo nec debent difficultatem hanc ſubire, neq; ſpes illis aliqua foret de victoria obtinenda. In terrisné ergo reperientur qui communi naturæ ſerie nati, hoc attentare auſint, aut aliquid egregii contra tam feros hoſtes præſtare poſsint? Debuerunt illi quidem, ſiquidem & illi deliquerunt, ac ita bello huic anſam dederunt; Sed etiamſi poſsibile eſſet omnes in univerſum homines à primo Adamo in lucem hanc editos ad poſtremum qui naſciturus eſt, ſupereſſe, unaq; manu & extremis viribus ſe hiſce opponere, nunquam tamen ad impetum hoſtium ſuſtinendum, nedum vincendum pares eſſent. Elephas

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

enim, ut tritum illud habet, non curat muſcas. Et quid, quaſo, miſeri captivi & mancipia Diaboli, peccati & mortis, ad eorum feritatem retundendam proficere poſſent? Tales .n. omnes homines extra Chri-
Apoc. 17. *ſtum fuerunt. Iam video vos utcunq; conjectura prævidere inſignem*
v. 24. & *ejus gloriam qui poterit & volet. Ille qui ſit accipere avetis. En re-*
19. v. 16. *motis ambagibus diſertè dicam. Is nullus alius eſt, quam Rex*
2. Tim 6. *Regum & dominus dominantium Dei* ἀϊδίου *& Mariæ* ἀειπαρθένου
v. 15. *filius Ieſus Chriſtus* θεάνθρωπος, *fortiſsimus ille Leo de tribu Iehu-*
Apoc. 5. *dah, qui hoſtes ſuos quantumvis truces & ſævos* כִּכְלִי יוֹצֵר *non*
v. 5.
Pſ. 2. v. 9. *ſecus ac vas figuli, collidendo unum ad alterum confringere et commi-*
Philip. 2. *nuere poteſt, & ad cujus nomen incurvari non modo omnes creatu-*
v. 10. *ras ſoli & poli, ſed & concidere infernum & omnes ejus ſtipatores ne-*
Eſ. 53. v. 7 *ceſſe eſt. Hic eſt qui debuit quia libenter voluit, voluit quia facilè po-*
Pſ. 40. v 9 *tuit. Et quum omnia apud creaturas eſſent extremè deſperata, nihilq;*
Eſ. 63. v. 1. *jam magis ſupereſſet conſilii, hic ſe interpoſuit & hoſtibus* בְּרֹב כֹּחוֹ
ut vates divinus ait, in multitudine virtutis ſuæ, in faciem prodire non dubitavit. Sed quo bellico apparatu? qua copia? quibus auxiliis? plane nullis, neq; enim indiguit, ut qui ſummè αὐταρκὴς *non aliquid extra ſe unquam poſtulavit. O præcellentem animum, ô ma-*
Eſ. 63. v. 3. *gnanimum Heroem, ô verè heroicos auſus! Solus, ſolus inquam, torcular calcavit nec fuit vir ex populo cum eo. Verum jam utrimq; urgent congreſſum hi hoſtes, nec arctiſsima remora cohibentur, quin confeſtim in ſeſe vires experientur. Igitur committamus. Sed ecce, audiuntur apud inferos horrendi ſtrepitus, claſsicum canitur, & ex omnibus angulis dicto audiens prodit perdita cohors, ac ad intrepidè dimicandum, Lucifero caduceatore, exſtimulatur.*

En quæcunq; latent ferali monſtra barathro
In turmas aciemq; ruunt
Ardet peccatum ſtimulis ferturq; nocendi
Prodigum; & indocilis flecti Mors omnia turbat.

Chriſtus autem Antagoniſta ſolus eos expectat & digne excipit. Sed quid? Quamprimum eum de longe aſpiciunt hoſtes acerrimi te-
terrimi,

terrimi, vix audaciſſimus eorum amplius apud ſe eſt, pedes titubant,
membra cuncta tremunt, manibus arma excidunt, Gladii eorum in Eſa. 41.
terram redacti ſunt, & facti ſunt ſtipulæ impulſæ arcus eorum, to-
tusq; exercitus quantus quantus erat una occidione deletus eſt fuſus
& fugatus. O digna militibus præliandi dexteritas. O quam facilis
Chriſti ſuper hoſtes tantos victoria! Hæc, hæc ipſa, inquam, eſt
A. H. auguſtiſſima & æternâ memoriâ digniſſima victoria, quam
ſacra volumina perpetuo commendarunt, patres ſancti indubitata fi-
de anxiè expectarunt, prophetæ inſtinctu ſpiritus ſolenniter prædica-
runt, Apoſtoli eodem autore, magno fervore celebrarunt. Hac glo- Pſ. 110. v. 2
rioſiſſimus victor in medio inimicorum dominari cæpit, capita hoſtiũ Matth. 12
conquaſſavit: Hac in robuſti illius palatium irrumpens, robuſtum v. 30.
vinxit, vaſa diripuit, virtute ſpoliavit: Hac ſubjecit ſibi imperia 1. Petr. 3.
& poteſtates ſibi obnoxias reddidit: Hac captivitatem captivam v. 22.
duxit: Hac chirographum nobis contrarium cruci affixum è medio Epheſ. 4.
ſuſtulit & ſpoliata imperia palam de illis triumphum agens traduxit: v. 8.
Hac finem peccato impoſuit, iniquitatem delevit, populum ſuum à Coll. 2.
delictis abſolvit. Hac mortem in victoria abſorpſit, devicto ejus acu- v. 14. Dan. 9.
leo credentibus regna cœlorum aperuit, infernum devaſtavit, & ut v. 24.
plurima paucis comprehendam, ad altiſſimam & nullis ſeculorum ſe- Matth. 1.
culis intermorituram intravit gloriam. Eſtnè hæc magnificentiſſima v. 12.
victoria, eſtnè inexplicabilis triumphus? Profectò qui hoc non vi- Oſeæ 13.
det, eum ad clariſſimam meridiem cæcutire oportet. Tanta enim v. 14.
omnino eſt, ut ad eam omnes omnium Monarcharum & Regum 1. Cor. 15.
aliorum triumphi, quamvis celebres & à multis illuſtribus elogiis ad v. 54. Luc. 24.
ſydera usq; evecti, prorſus ſordeſcant. Agè explicemus chronica ſa- v. 26.
cra cum profanis excutiamus diligenter hiſtorias, videbimus omnia
clariſſima facta nihili eſſe, ubi ad hoc palmarium ſalvatoris facinus
fuerint revocata. Celebratur quidem victoria Abrami ſuper Caldæos
Loto vim inferentes: Nobiles ſunt populi Iſraëlitici triumphi ſuper
terræ Cenaaniticæ incolas: Narrantur multæ Davidis contra varios
hoſtes victoriæ. Commendantur triumphi Ioſaphat, Ioram, Ezechiæ,
Judith & aliorum. Quæ ſingula ſuo foro magna ſunt, ſed tamen quic-

 quid

quid eſt, ut rectè dixit Romanæ Eloquentiæ lumen, quamvis amplum eſt, id certe parum tunc, quum eſt amplius. Inclaruit victoria Nebuchadnezaris contra Ægyptios; pervagata eſt omnes mundi oras Cyri contra avum Aſtiagen: percrebuit latiſſimè fama ejusdem victoris contra Babel & Regem Balthazarum. Cunctis innotuit tertia illius ſuper Crœſum Lydorum Regem: per omnium ora volitat Alexandri contra Darium. Omnes quamplurima referre norunt de Heroica Romanorum fortitudine, ut Horatii, Camilli, Torquati, Scipionum, Marcelli, Marii & aliorum. Sed unica Chriſti victoria omnes aliorum tenebris involvit, non ſecus ac ſol ſua præſentia, omnium ſtellarũ fulgorem intercipit & lucis ſuæ abundantia penitus offuſcat. Rationem poſcis? Illâ non deſtituimur. Apertè dicam: Plurimos namq; horum alii hoſtes viciſſim devicêre, omnes autem mors expugnavit: ſed ille ſemel partâ victoria perpetim fruitur, & inter cæteros hoſtes mortem quoq; proſtravit. Deinde hi homines vicerunt, qui & naturam & conditionem ut vinci poſſent habebant, ſiquidem nulla eſt vis humana tanta, nulla tanta copia, quæ non ferro & viribus debilitari frangiq; poſſit: Ille autem eos devicit, contra quos omnes omninò homines ne tantillum efficerent. Accedit & hoc quod ſicut nemo horum victoriam ſolus acquiſivit, ita nullus jure, victoriæ laudem ſibi ſoli vendicabit. Magna enim pars ducibus & capitaneis, non minor animoſitati & ſolertiæ militum, nec etiam minima diligentiæ debetur exploratorum. In ejus verò gloriæ nullus audebit ſe ſocietatem offerre, tota quantacunq; eſt, quæ profectò infinita eſt, tota, inquam, ex aſſe ejus eſt. Nihil heic centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpat. Vnus paravit, uni cedit, ſocium nullum admittit. Verumenimvero ſi quis Davidem aut Simſonem parem laudem aſſecutos opinetur, quorum ille duello, unus ſz. de uno triumphum egit; hic ſolus contra mille, iis cæſis & fractis, intactus perſtitit; ille plane toto cœlo errat & τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον ut græci ajunt, quærit: Illæ enim fuerunt victoriæ Chriſti ſaltim umbræ, quæ cum corpore ipſo collatæ nullius ſunt reſpectus. Eat nunc & perfricet frontem vel iniquiſſimus quivis rerum æſtimator, ſive

Iudæus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

Iudæus ſit aut Sarracenus, excutiat omnes perverſi Cerebri thecas, nunquam habebit quicquam alicujus momenti, quo huic tantæ ſupremi Regis gloriæ detrahere poßit. Nos verò qui victori huic invictißimo nomina dedimus & ab ipſo vicißim appellationem ſortiti ſumus, quoties de hac victoria cogitationes menti ſubeant, toties miſerabilem noſtram ſortem, qui captivi eramus; toties ineffabilem Dei patris φιλανθρωπίαν, qui auxiliatrices manus porrexit; Toties Dei filii & fratris noſtri abundantißimam charitatem, qui noſtro nomine quidvis lubenter tentavit, ferenda fortiter ſuſtinuit, glorioſeq́; demum vicit, & nos ex periculoſißimo hoſtium ergaſtulo liberavit, gratis animis penſitemus. Sed tempus jam me monet, ut hæc miſſa faciam, cui mos eſt gerendus ne veſtra videar abuti facilitate.

Supereſt ut quo modo victoria hæc parta ſit diſquiram. Cuilibet autem in propatulo eſt, quod Chriſtus ſemper Satanæ ſudes in oculo fuerit intolerabilis. Nam ſtatim à conditione ſua ardentißimum ſuum adverſus eum prodidit odium, quamvis non ſine ſuaipſius æterna pernicie. Poſtea etiam quum Chriſtus incarnatus, à Baptiſta lavacro ſacro, accedente quoq; apertißima patris & ſancti Spiritus teſtificatione, ad docendi munus publicum eſſet inauguratus, & ſpartam hanc divinam à jejunio & prece ordiri vellet, acceßit Satanas & πειραστικὴν συζήτησιν inſtituit, in eam ſpem, ut tum prævaleret, erectus. Sed vanâ lactatus cum ignominia ceßit. Chriſtus è contrario ipſi ſæpenumero, ut Euangelica monet hiſtoria, litem, ſicut & aliis hoſtibus, intendebat, eumq́; à variis hominibus miſerè ſub ejus tyrannide divexatis propulſabat. Eodem pacto peccatum violenter retundebat, quum non paucos ejus onere gravatos, clementer ſublevaret. Morti etiam quam irrecuperabile damnum intulerit, mortuos in vitam revocando, notius eſt, quam ut longa verborum congerie teſtatum fiat. Vicitnè igitur Chriſtus diabolum dum ipſum de cœlo expulſum cum tota aſſeclarū caterva æternis cruciatibus torquendum tradidit? Vicit quidem quoad ſe, ſed non quoad ſuos, neq; dum ullam in eos poteſtatem habuit, nulla itaq; tunc eripi potuit.

Vicitnè

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

Vicitnè in diſputationis certamine? Vicit quidem diſputando ſed
non proſternendo. Vicitne dum ipſi palatium quod fraude ſua in
hominibus obtinuerat, prohibuit? Vicit, ſed caput ejus non
contrivit. Vicitnè peccatum dum multis id remiſit. Vicit &
vim repreſſit, ſed actu non abolevit. Vicitnè mortem dum tot mor-
tuis vitam reſtituit? Vicit, ſed non funditus expugnavit. Et ut
ἐν ἐπιτομῇ *dicam, Hæc fuere ſaltim tyrocinia quaſi & ſpecimina*
quædam ſecuturæ ſuo tempore palmariæ illius victoriæ, quæ tum
1. Ioh. 3. v. 8. *demum prodiit, quum diabolum & omnia opera ejus prorſus de-*
ſtruxit, de qua in præſentia nobis ſermo erit. Sed qua ratione ad
2. Cor. 10. v. 5. *eam peruenit? Heic conſultiſſimum fuerit tumultuantem & fu-*
rientem rationem, ex iuſſu Apoſtoli captivitate comprimere & cum
Gen. 22. v. 5. *Abrahamo Aſinam infra montem ligare. Si enim verticem ſcan-*
dat, miris machinis & cuniculis rem agere tentabit. Ecce nunc
diſtinctè dicam: Chriſtus Ieſus עִמָּנוּאֵל *morte ſua diabolum*
debellavit; morte ſua peccatum proſtravit: morte ſua mortem ſu-
peravit, mortem moriendo deſtruxit & vitam reſurgendo repara-
vit. Hac via unica & hoc ſolo modo vincere potuit, quia ſic vin-
cere decrevit. Sed quid? malum, videor mihi jam audire Aſinos
rudentes ab Aſina vectos, h. e. ſtulta cum ratione inſanientes &
auribus obſtrepentes in hunc modum: Hæc omnino, inquiunt, con-
veniunt, ſicut rectum & curvum: Chriſtus mortuus eſt, & is vicit.
Amentis enim eſt & cerebro carentis, credere ab eo nos poſſe libe-
rari, qui ut liberaret amiſſus eſt: ut naſceretur oppreſſus eſt: ut
immortalitatem reduceret tranſivit ad mortem. Sed abſit hæretice
(reſpondet Ambroſius de fide contra Arrianos cap. 8) Nos enim
credimus eum immutabilem & inconvertibilem, verbum, .i. filium
Dei: qui quum hominem induit, non ſtatum vertit, non ordinem
pervertit, non ſubſtantiam immutavit: ſed illuuies ejusdem corpo-
ris æterno claritatis ſuæ lumine illuſtravit, ut ad nos per tramitem
Corporis ejus (id eſt, humanæ naturæ) lux Sancti Spiritus &
æternæ vitæ gaudia redundaret, quem & paſſum & ſepultum cre-
dimus, ſed homo ille paſſus eſt, quem filius Dei ſuſcepit, quem induit,

quem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

quem portavit. Sed quia totum ad autorem (id eſt perſonam ejus)
referebatur, quicquid homo ille patiebatur, Ideo paſſio & mors do-
mini judicatur. Nam conſtat immortale eſſe quod Dei eſt, hominis
quod caducum. Exeat proinde Aſinus & ſordida calceamenta Exod. 3.
exuat, quia locus eſt ſanctus, tum demum ſanctuarium Iehovah v. 5.
ingrediatur ut capiat fide, quæ ſtolida ratione dementatus prius ca-
pere non potuit.

DEUS ter optimus terq; Maximus ut ſummè juſtus ita im-
mutabiliter eſt verax, Imo ipſiſſima veritas & juſtitia eſt. Is
primis hominibus à ſe formatis graviter interminatus eſt, ne ex
ligno ſcientiæ boni & mali unquam guſtarent, adjunxitq; graviſſi-
mam pœnam, ut ſz. ſi dicto audientes non forent æternæ morti &
maledictioni, cum omnibus poſteris, ſubjacerent. Diabolus autem
μισάνθρωπος videns ſe ſine omni ſpe veniæ iſti pœnæ adjudicatum
eſſe, ſatagebat omni cura ut homines ad ἀποστασίαν pelliceret, man-
datiq; divini transgreſſores efficeret, quo ſic & ex communi naufra-
gio ſolatium haberet. Suaſit itaq; & tandem, prô pudor & dolor,
penitus perſuaſit, ut ſpreta divinæ majeſtatis ſevera prohibitione, ex
interdictæ arboris fructu comedendum ſumerent; quo facto, crimini
læſæ majeſtatis, & in ipſis tota poſteritas, facti ſunt obnoxii. Iam
juſticia Dei juſſit violatoribus legis mulctam irrogari; veritas
aliam non admiſit, quam quæ propoſita fuit. Nihil igitur reſtabat,
niſi ut tota progenies humana æternæ mortis tormentis cum Satana,
plectenda committeretur. Sed quid fit? Motis viſceribus miſericor- Sap. 2.
diæ divinæ, initur conſilium in cœleſti curia, quomodo homo ad vi- v. 23.
tam æternam creatus, & invidia diaboli in mortem conjectus, ex
mortis & inferni faucibus eripi poſſet, ut interim tum veritas tum
juſticia Dei ſalva & illibata perſiſteret. Tandem, re deliberata,
ſacratiſſima Synodo concluſum eſt; ut filius Dei homo fieret, quia
homo deliquerat, & morte ſua mortis imperium everteret. Atq; hoc
pacto & Dei veritati ac juſticiæ perfectè ſatis eſt factum, & huma-
næ ſimul ſaluti benignè ſubventum. Vides quam inexplicabili ſa-
pientia mortuus ſit, ut vincere poſſet. Hinc appoſitè & religiosè

Beatus Auguſt. ſerm. 118. de temp. in hunc modum ſermocinatur: Forſan mirum videtur, quod apud præſidem Pilatum arguatur Salvator & taceat. Taciturnitate negat quod objicitur, quum non vult reſpondere quod quæritur. Accuſationem ſuam dominus tacendo non firmat, ſed deſpicit non repellendo, Benè enim tacet, qui defenſionem non deſperat. Ambiat defendi qui metuit ſuperari. Chriſtus autem quum condemnatur, vincit Quid ergo opus erat ei loqui ante judicium, cui ipſum judiciũ erat plena victoria? Et rurſum ſerm. 20. de temp. Apparebat in fragilitate Chriſti humanitas & in virtute majeſtas. Ad hoc itaq; nobiſcum vixit in carne ut præferret Exempla juſticiæ: Ad hoc pro nobis mortem ſubiit, ut conferret munera ſalutis æternæ. Vitam ad hoc depoſuit ut donaret. Mortem ad hoc ſuſcepit ut vinceret, cui tamen mortis præſumptum dominium redditur, & quaſi ſervus quidem ſuccubuit, ſed quaſi dominus imperavit, ſiquidem nec animam inferni porta, nec corpus tenere potuit ſepultura.

Latius premis: Eſt hoc ſupra omnem rationis captum, eum qui morte ſuppreſſus eſt vincere poſſe. Ita ſane eſt ut dicis. Sed non tamen eſt contra vel ſupra Chriſtianæ fidei articulum, qui immoto verbi Dei fundamento innititur. Proinde præmonui ut rationem loris conſtringeres, quo fides ſola ejus labyrinthis ſoluta, vigere poſſet. Hæc enim perſuaſione minimè vaga & verſatili ſunt credenda, non temeraria ratione, quæ magis ad hanc lucem, quam noctuæ oculi ad ſolem cœcutit, comprehendenda. Et quæ hæc eſt malitioſa ſtupiditas? Ellychnia & ſtipulas Amiantho illitas contra violentiam voraciſsimi ignis immunes perſiſtere credis, quia experiri etiam potes. Quur non multo magis corpus Chriſti ἐν ὧ κατοικεῖ πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς *Coll. 2. v. 9. intactum & illæſum à corruptione permanſiſſe, eumq; divinâ virtute reſurrexiſſe & de hoſtibus triumphaſſe perſuaſum habes?*

Sed adhuc antiquum obtinens, ais; Eſt valde mirabile, & nihil præter hoc, tale, ullis mundi ſeculis eſt inauditum. Nec ego ab nuo. Sed hoc contrà aſtruo, quod tanto ſit glorioſius, quanto fuerit

mira-

mirabilius. Nam ſi ſimile monſtrari poſſet, hoc fortè vileſceret. Et haudquaquam ſanè de nihilo eſt, quod Eſaias in hujus victoris ὑποτυπώσει *inter alia addit:* וַיִּקְרָא שְׁמוֹ פֶּלֶא *&* Eſ.9.v.6.
vocabit nomen ejus admirabilem. Si namq; totam ejus hiſtoriam percurramus, quantacunq; eſt, nil niſi miraculum eſt, quam Auguſtinus ideo nos facilius credere, quam enarrare poſſe rectè aſſeruit. Mirabilis is erat in conceptione; mirabilis in nativitate; mirabilis in educatione; mirabilis in perſona; mirabilis in operibus; mirabilis in tota vita; mirabilis quoq; in ipſa morte. Quid igitur, cedo, mirum, ſi mirabiliter de inimicis victoriam obtinuit, qui non modo mirabiliter pugnavit, ſed totus miraculum fuit?

Manifeſtum eſt igitur hoſtes, ipſos, quos Chriſto paravere compedes, æternùm cum ſumma ignominia geſtare, ut non minus verè quam ſplendidè dixerit Poëta.

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων
ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Huc percommodè, ut opinor, convenit relatio illa Plinii de Draconibus & eorum mira quadam ſolertia & adverſus Elephantem inſidiis, quæ ſic habet: Elephanti (inquit Phyſicus hiſtoricus) frigidiſſimus eſt ſanguis, ob id æſtu torrente præcipuè à Draconibus expetitur: quamobrem in amnes merſi bibentibus inſidiantur, arctatiſq; illigata manu in aurem morſum defigunt, quoniam is tantum locus defendi non poteſt manu. Dracones tanti ſunt ut totum ſanguinem capiant. Itaq; Elephantus ab iis ebibitur ſiccatuſq; concidit & Dracones inebriati opprimuntur commoriunturq;. Quis enim non intelligit hoc tam appoſitè ad declarandas Satanæ adverſus Chriſtum ſtrophas, & maximum quod inde cepit damni, congruere, ut vel ſuſpitio eſſet queat, numné ipſe naturæ Architectus huc deſtinârit. Nam tanto æſtu exarſit Satan & tanto æſtu uſus eſt, nihil ut penſi haberet, modo ſanguis Chriſti profunderetur. Ipſe tamen ſuctu iſtius ſanguinis lethaliter infectus totum robur amiſit. Et ſicut Ichneumo cum angui indelebile odium exercens, ubi ad conflictum deventum eſt, prius ſe in limum hac atq; illac volutat & poſtea arenam obdu-

lib.8.c.12

Ariſt. de hiſt. lib 9 cap. 6.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

cit, ac ita quaſi loricatus ab hoſte ſe deglutiri patitur, quem demum
nihil mali metuentem interius corrodit & ad interitum uſq; purgit:
Ita etiam Chriſtus ſe à peccato quaſi devorari paſſus, illud tandem
medium diſruptum penitus enervavit & prorſus elumbe fecit. Nec
Scal. ex- *abſimile quid morti accidit. Quemadmodum etenim de avi quadam*
ercit. 24. *in Oceano Cornicis fermè colore & magnitudine, commemoratur,*
Sect. 1. *quod in os Balenæ hiantis ingreſſa, ventriculum ejus non ſine acu-*
tiſſimo doloris ſenſu erodit, tandemq; cor infeſtans, belluæ vitam eri-
pit: Sic Chriſtus à morte abſorptus cor & omnia interiora ejus di-
laceravit, & aculeum, quo nos compungeret, prævalidâ manu ſub-
Oſeæ 13. *traxit. Atq; hoc pacto mors morti factus eſt & inferno peſtis, ut*
v. 14. *confidenter, medium digitum oſtendentes, eos laceſſere queamus, di-*
centes: Vbi victoria tua ô mors ubi ſtimulus tuus inferne? Sed Deo
1. Cor. 15. *ſit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum*
v. 57. *Chriſtum.*

Verum quòd diabolum morte Salvatoris mortuum aſſerimus, id
eſt quod cum grano ſalis, ut ajunt, acceptum cupimus. Nimirum
quod adverſus pios & ſpem inconcuſſam in hunc victorem reponen-
tes, ad evertendam eorum ſalutem, minus quam mortuus peragere
Epheſ. 2. *poſſit. Interim tamen ex præſcripto ſacri codicis non diffitemur, et-*
v. 2. *iamnum in reprobos & præfractos eum plenum imperium obtinere,*
2. Theſſ. 2 *quos pro libitu agitat donec ab uno horrendo flagitio in aliud voluta-*
v. 9. *tos, in gehennæ demum præcipitium devolvat. Sed contrà quis inſur-*
gat; hoc ſc. debere frequentius à piis exoptari quam facilè obtineri
poſſe, ut à Diaboli impetu immunes eſſent. Quis enim in ſacris tam
novitius eſt, qui ignorat quantis eos ſemper incommodis obruerit,
quod vel unicus ille ſanctus Ijobus luculenter teſtatum facit præter-
quam quod idipſum quilibet aliquali pietate tinctus indies domi
apud ſe experiatur. Heic tamen probè ſciendum, tam arctè vi & ef-
ficacia mortis Chriſti diabolum eſſe obſtrictum, ut ne gry quidem
ſuopte arbitrio contra fideles tentare poſſit, niſi quatenus is graviſſi-
mis de cauſſis ipſi frena laxet: partim equidem, ut in pugna contra
eum exercitati virtutes & vitia dignoſcamus; partim ut bello &

labo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

labore virtutem comparatam ſtudioſius cuſtodiamus; tum etiam ut in
virtutis ſtadio progreſsi nimium alta non ſapiamus, ſed modeſtè nos
ei, per quem vicimus, ſubmittentes profectò odio vitia abominemur;
Ac demum ut affectibus purgati nunquam nec propriæ infirmitatis
nec virtutis ex alto auxiliantis immemores fiamus.

De peccato autem ſi quis moleſtus eſſe vellet, quod nec illud ſit
deſtructum, quum adhuc omnes homines peccati rei agantur, & ob id
pœnas luant, Is ob oculos ponat tum alios ſcripturæ locos, tum illum
qui eſt 1. Ioh. 3. πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ.
Non certe quod nec labatur unquam, nec ad lapſum propendeat,
ſepties ſiquidem in die cadit juſtus; ſed quod peccato divini numinis Prov. 24.
ope repugnet & ne in mortali ſuo corpore imperium teneat, diligenter v. 17.
præcaveat. Peccatum itaq; morte Chriſti ſublatum eſt, non ut non Rom. 6.
ſit (ſicut in Theologorum ſcholis loquuntur) ſed ut ad condemnatio- v. 12.
nem non imputetur. De perverſis verò & diabolo ſuamet malitia
mancipatis alia res eſt; qui ut Chriſtum & ejus liberationem floc-
cifaciunt, ita etiam juſto ipſius judicio ſibi & ſuæ cupiditati relin- Rom. 1.
quuntur. Poſtquam enim illi ipſum dimiſerunt, is illos permiſit ſi- v. 24.
bi, ut inquit Gregorius.

Nec deſint fortean qui mortem priſtinas vires retinuiſſe conten-
dant, quum quotidiana experientia notum ſit, multas indies fieri
parentationes, multaq; cadavera ad ſepulturæ locũ exportari. Sed hi
profectò magno involuti ſunt errori, quod nempe mortem temporalem Apoc. 20.
aliâs primam, à morte æterna ſcripturæ ſecunda dicta diſcernere non v. 14. & 21
didicerunt. Hanc quidem Chriſtus moriens labefactavit, ne un- v. 8.
quam in verè credentes tyrannidem exerceat: Illam verò compe-
ſcuit non ſuſtulit; Certum enim eſt omnibus hominibus inevitabi- Rom. 5.
les ſcriptas eſſe leges mortis: quippe quum ſuperſtite homine, ſuperſtes v. 12.
maneat peccatum, Ideo etiam ultimo huic hoſti omnes corripere con- Hebr. 9.
ceſſum eſt, ut appareat ſummum DEI erga peccatum faſtidium v. 27.
& ira, quòd etiam in ſibi addictis id inultum non ſinat, ſed rigidè 1. Cor. 15.
animadvertat & morte temporali plectat. Tantum tamen abeſt, v. 26.
ut aliquid pernitioſi in hac nobis uſuvenire metuamus, quod verius

Philip. 1. *mors nobis magnum ſit lucrum; ſit janua per quam ad veram vitam*
v. 12. *intromittamur; ſit placidiſſimus ſomnus, quo tutò à militia, in qua*
Matth. 9. *toto vitæ curriculo in procinctu ſtare tenebamur, reſpiremus; Imò*
v. 25. *verò ſit, ut quidam dixit,* κάθαρσις φαρμακευτικὴ τῆς ψυχῆς καὶ
Ioh. 11, τοῦ σώματος, *purgatio ſalubris animæ & corporis. Impii autem*
v. 11. *& malè feriati, quum primæ reſurrectionis, quæ fide in Chriſtum mul-*
1. Theſſ. 2. v. 13. *tis in reſurrectionem poſitum, fieri debebat, non reddantur heic par-*
Ijob. 7. *ticipes, ſed in fœdiſſimo vitiorum & incredulitatis ſtrato in*
v. 1. *utramq; aurem ſecurè dormiant, ſuapte culpa in mortem ſecundam*
Apoc. 20. *incidunt.*
v. 5. & 6. *Verumtamen ne quisquam nos hac velificatione in ſcopulos illos impegiſſe cenſeat, ad quos colliduni illi, periculoſo ſanè naufragio, qui Chriſtum mortis ſuæ fructum omnibus communem fore voluiſſe, contra expreſſa & luculenta ſcripturæ teſtimonia, inficiantur, operæ pretium fuerit id uno aut altero verbo pracavere. Dico igitur ductum divini Eloquii ſecutus, Chriſtum quidem omnibus in univerſum Adami poſteris, nemine excepto, meritum mortis ſuæ prodeſſe unicè velle & intimè exoptare, voluntate ſz. quam orthodoxi ex Damaſceno* προηγουμένην *appellare ſolent, qua clementiſſimus frater noſter omnium ſalutem ardentiſſimè ſitit & expetit; Verum quia bona pars hominum, neglectis aut ſusq; deq; habitis mediis, quibus ſe fidem operaturum & per fidem vitam æternam largiturum recepit, manu illa maximè neceſſaria deſtituuntur, qua eum cum ſuis beneficiis excipere & ſibi appropriare deberent; Idcirco ſanctum canibus dari & Margaritas porcis projici non permittit, idq; voluntate* ἑπομένῃ *ſeu conſequente. Sicuti enim nemo propriè dare dicitur, niſi ſit qui à dante accipiat (ſiquidem hæc ad* τὰ πρός τι, *ut vocant verè referuntur) ita etiam nemo ex manu Chriſti* δοτικῇ *accipere poteſt, niſi proferat manum iſtam ſalutarem &* ληπτικὴν *quam fidem vocamus. Sine qua, quisquis eſt, extra Chriſtum totus eſt, & proinde in beneficiis ipſius participare non poteſt. Neq; hoc pactò in caſtra Pelagianorum tranſilivimus. Non enim ita à ratione deſtituimur, ut fidem tanquam* μισθικὴν *aut meritoriam*

cauſſam,

cauſſam, ut illi, admittamus; ſed ut ὀργανικὴν *ſeu cauſſam inſtrumentalem, præeunte & facem præferente verbo* θεοπνεύστῳ *rectè requirimus. Remotis his obſtaculis nunc demum colophonem imponamus.*

Quum itaq; certiſſimum ſit & omnino infallibile, tantò magis ſemper accreſcere gloriam victoris, quantò fuerint hoſtes devicti crudeliores & validiores; Chriſtus autem unica noſtra ſalus, omnium qui fuêre, ſunt aut futuri ſunt atrociſſimos & fortiſſimos, idq; vel moriens & viribus enervis, πανοπλίᾳ *exuerit, quum tamen illorum vim omnes ad unum creaturæ, in ſuo ſummo flore & vigore, in omne ævum flectere multò minus frangere potuiſſent; mentis compotem nemo exiſtimârit illum, qui ipſi hinc immenſam, inexplicabilem & ſuperexcellentem gloriam proveniſſe tergiverſaretur. Et ſanè nullius hominis tantum eſt ingenii flumen, tanta facundia, tanta dicendi copia, ſit licet Platone, imò verò ſapientiſſimo Salomone ſapientior, ſit Ariſtotele acutior, ſit Demoſthene Eloquentior, qui ejus ampliſſimæ gloriæ exundantiſſimum Oceanum non dicam celebrando exantlare, ſed ne narrando penetrare queat. Quinimo nec à ſanctis Angelis, habeant etſi ſinguli mille vel plures linguas, unquam* κατὰ τὴν ἀξίαν *commendari poteſt; ſed absq; omni termino in cœlis à creaturis rationalibus eſt decantanda, quamvis nunquam in æviterna ſecula abſolvenda. Infinitum enim ſemper aliquid obtinet ultrà. De qua quia ſatius eſt nihil quam pauca dixiſſe, eam veſtræ pietati, ex hactenus allatis, quodammodo æſtimandam & tota mentis acie, in vero Dei timore, ponderandam relinquo. Neq; enim tempus ſuſtinet, nec verba condigna ſuppetunt, ut pluribus de illa hac vice commemorem.*

Interea, licet quidem nec dubia ſit ut præconium, nec ignobilis ut laudationem deſideret, neq; etiam obſcura ut Encomiorum lenociniis illuſtrior fiat; nos tamen eam καθ' ὅσον δυνατὸν *gratis mentibus celebremus, & ex conſilio Auguſtini, Gratias agamus pietati ejus, qui infirmitati noſtræ de homine ſuo vitale compoſuit medicamentum, magnificemus eum, qui nullum divinæ virtutis, dum nobis ſubvenit,*

fecit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

fecit detrimentum, quiq; in tantum dilexit opus ſuum, in tantum reputavit ſervum ſuum, id eſt, humanum genus univerſum, ut culpam ejus ſuo verbere expiaret, vulnera ejus ſuo livore ſanaret. Et certe ferrei fuerimus chalybemq; & Adamantem circa cor habuerimus, id ſi non ſponte noſtra ac αὐτεπάγγελτοι *fecerimus. Quocirca unanimi voce & pia mentis attentione meritiſſimo Salvatori noſtro digniſſimum & ſuaviſſimum* ἐπινίκιον *cum multitudine militiæ cœleſtis exercitus, non ſolum hoc feſto ſed toto vitæ curriculo*
Apoc. 7. v. 12. *cantemus, cum jubilo pſallentes & dicentes:* ἡ εὐλογία καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ σοφία, καὶ ἡ εὐχαριστία, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ ἰσχὺς, τῷ θεῷ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ τρισμεγίστῳ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1670 4° copy 1